EXPLICATIO
TRACTATULI,
Qui
MIRACULUM MUNDI
inſcribitur,

Nuper à *Joh. Rud. Glaubero* editi, tàm planà quàm ſolida,

In rei veritatis teſtimonium, & artes amore proſequentium utilitatem,

Authore ipſo GLAUBERO.

Cum Privilegio S. Caſ. Majeſtatis.

AMSTELODAMI,
Proſtant apud JOANNEM JANSSONIUM,
M. DC. LVI.

LECTOR BENEVOLE,

Causam me ad explicationem Miraculi Mundi impellentem huc adducere certè non abs re fuisset, & jam chartæ tradita erat, ut hisce rebus insequentibus præponeretur: ob certas tamen rationes nunc omittitur, & in aliud tempus opportunius differtur, quo annuente Deo, in lucem prodibit. Interim tamen obiter paucula quædam in medium hâc de re dicere non supersedebo. Primò ut illis eatur obviam, qui scripta mea, & imprimis Miraculum Mundi coram omnibus cujuscumque status & conditionis hominibus contempserunt, falsò proferentes meras & fictas esse opiniones, nullo suffultas fundamento, nec in opus ullum deducendas. Nunc verò veritate toti mundo demonstrata, confitebuntur ipsi hoc modo victi, se iniquos in me fuisse, meoque honori detraxisse. Secundo me movit falsa & callida astutia malitiosorum hominum, quibus bono animo (putabam enim me rem habere cum viris honestis & discretis) magni momenti secreta (hâc conditione, ne indiscrimi-

natim omnibus ea palàm facerent) communicavi, ut sibi & mihi istis prodessent; & qui astuto stratagemate eadem è domicilio, immo è corde meo clàm & furtim abstulerunt, jam quasi suum venditantes, & quod meum irridentes & contemnentes ut magni viderentur, & mihi quoad possunt nocerent. Hîc autem probatur meas esse Inventiones, & ipsos, perfidos; omnibus enim fit notorium & jam est, quàm ingrati ipsi cuculi erga me, bonum mihi malo reddiderint. Non est mihi possibile retinere vel unicum famulum præ talibus malitia usque adeo plenis, ut nos docet exemplum Farneri *apud* Antonium Nietz: *qui dummodò sciat unicam saltem probam facere super hoc vel illud Metàllum & Minerale statim ab illis seducitur, autumantibus se per istiusmodi servulos omnia mea secreta unicâ vice & operâ ad se rapere, sed valdè decipiuntur, etiamsi imaginatione sua phantastice & stulte superbientes, tàm crassa mendacia effutire non erubescant, possidere se omnia mea secreta, sed hunc sibi honorem ipsi habeant, exaltari nimirum per istiusmodi fraudulentos & iniquos modos. Certum enim; quod mihi etiam so-*

solatio est, & furantem, & furtum celantem, nunquam Dei benedictione fruiturum, me autem alibi eodem ab ipso cumulatum iri tanto liberalius. Tertio me movit senectus atque infirma corporis dispositio, non potentem amplius ignis ferre labores, nec volentem diutius rem habere cum istiusmodi infidis. Si ergo Secreta palam fient, parcetur, spero, mihi in futurum, literis & quæstionibus. Non enim possibile est mihi ut omnibus & singulis respondeam literis, multo minus, ut me sistam & præsens appaream, quia profectionis onera mihi sunt plane insupportabilia. Quarto nec minima causa hæc est, quod quidam infidus Copista Tractatulum istum clàm & furtim abstulit, aliisque venalem exhibuit, quod ego sentiens consultum duxi, ut à me in lucem ederetur potius, quàm ut alii mercaturam eo facerent, permittere, quâ communicatione toti mundo, mihi & aliis, magno emolumento me futurum equidem spero; quo facto ingrato postmodùm mundo me subtraham, quietus vivam; sic deliberatum, sic stat sententia, quam velim scire me quærentes. Initio & antequam vires & virtutes prædicti subjecti universalis in quolibet puncto, quas ipsi attribui, probem, & verificem, scitu necessarium

 sarium

ſarium eſt, quibus modis mentionatus Sal Terræ ſuas perficiat operationes, ut Lector benevolus non confundatur, & imaginetur, illum unico ſaltem modo ac viâ, crudum nimirum, ut in ſe eſt, ſuas exercere operationes: minime gentium; ſed exerit ſuas vires tribus modis, formis ſeu figuris. Exempli gratiâ, primo uſui eſt multis in negotiis & artibus, quatenus ſimpliciter è terrâ tractùs, purificatus, & omnibus notus. Ad alium uſum applicatur, priùs per ignem calcinatus, & in fixiorem ſubſtantiam mutatus & exaltatus; iterum ad alium uſum, prius in volatilem ſpiritum & Aquam fortem diſtillatus. Perficit itaque iſtud Subjectum ſuas operationes figuris, ſimplex, ut in ſe eſt, formâ ſolis; Secundo, ut igneus liquor fixus; Tertio, figurâ Spiritus volatilis ſeu aquæ fortis corroſivi, quemadmodum punctatim demonſtrabitur.

PUN-

PUNCTUS I.

PRincipio, omnia Fossilia hoc Subjecto mediante perfectissime examinantur, quænam metalla propriè contineant, quot, quantumque de singulis: fossoribus, fusoribusque, ne rem suam profundant, infallibilis cynosura. Præcellens artificium, quo omnium mineralium valor citra multum laborem & impensas deprehenditur, metallurgis apprime necessarium, Germaniæ præsertim, diuturno bello penitus exhaustæ, ad congerendas brevi spacio gazas, necessitatis puncto contra patriæ hostes promendas: cujus beneficio jam etiam ditissimæ ☉ & ☽ fodinæ (alias in æternum neglectæ) dum celerrimè & accuratissimè examinantur, sunt detectæ.

AD verificandum primum istum punctum, & demonstrandum, Mineras commodè Mediante Sale terræ probari, incipiam ostendere, quibus hoc modis fiat. Primò pulverisanda minutissimè Minera, sive sit ☉, ☽, ♀, sive ♄. Adde 100 ℔. ponderis probatorii 3 vel 400 ℔. calcinati vel fixi Nitri, misce omnia benè invicem, pone in tigillum fortissimum, cum suo operculo claudendum, siste ipsum super parvulo pede, in fornace fusorio tali, qualis in quartâ parte furnorum descriptus est, fac ut ignis paulatim incendatur, & Minera cum suo liquore in Tigillo benè fluat, sicut aqua, effunde in vas ad hoc negotium aptum, sine refrigescere, excute Regulum; si est ☉, ☽, ♀, vel ♄. pende illud in librâ probatoriâ & reperies, quan-

tum ☉, ☽, ♀, vel ♄, Minera contineat. NB. ♂ & ♃ non possunt isto modo probari, nam ♂ nimis est infusibilis in tali igne, & ♃ combustione in scorias redigitur, propter salem. NB. Si Reguli ☉ & ☽ non puri eruuntur, aut ♀ aut ♄ in se continent, tùm sinantur in Cupellâ currere cum pauxillo ♄, donec micant, & habebitur Metallum sinum, quod optima proba, cui securè fidendum, & computatio secundùm illam facienda, sine ullo fraudis aut sophisticationis metu. Reguli cupri & plumbi non opus habent alio tentamine, sed penduntur, & boni judicantur. NB. Quòd si Mineræ nimis sint indomabiles, & in primâ fusione nullum exhibeant Regulum, reponatur tigillum in fornacem (si est adhuc integrum misce 1 vel 2 frusta ferri Mineræ nullum Regulum danti) tectum, ne carbones incidant in illud, sine fluere, dum aggredietur indomabile illud Sulphur in Minerâ existens, & ne Metallum in Regulum abeat, impediens ferrum, & sinit aurum, argentum, cuprum vel plumbum in Minerâ contenta cadere, quæ effundantur in vas ad hoc opus aptum, & cadet Regulus, qui refrigeratione factâ, à scoriis excutitur, si nullus cadit, & tunc Mineræ etiam in se continuit Metallum; si autem velimus probare, an aurum etiam argentum, & argentum aurum vel cuprum, aut plumbum argentum vel aurum contineant, tunc sinantur Reguli in Cupellâ currere usque ad

emi-

emicationem, & poſtmodùm ſeparentur Aquâ forti, & invenietur, quantum uniuſcujuſque Metalli alteri permixtum ſit. Separationem hanc prolixè deſcribere non eſt opus, quia res ubique notoria & jam oſtenſa à Lazaro Erckero ſatis perſpicuè, ita ut repetitione non indigeat: Saltem hîc monſtratur & probatur, mediante Nitro Mineras facilè & confeſtim perveſtigari poſſe. Primus igitur iſte punctus nunc probatus & verificatus, Deo ſit gratia habenda, qui nobis ulteriùs aſſiſtat.

Punctus II.

Pyritæ ☉ & ☽ (Gold und Silber/ etc.) ſingulari, hactenus incognito compendio, hoc mediante fuſi, longe plus metalli fundunt, quam modo vulgari.

Secundum iſtum Punctum quod attinet, non eſt minimus aliorum fructum & utilitatem aliquam afferentium, ſed unus ex optimis, quem ſemper ſecretiſſimè in ſcrinio pectoris mei reſervavi; multi ſæpenumerò me dulciter Sirenum more allectarunt, ut illum demonſtrarem, quibus tamen ut morem gererem nunquam adduci potui, non ex invidia, & ut artem mecum terræ mandari vellem, ſed quia nulla ferè uſquam fides; honor nunc reputatur, multa promittere, & pauca præſtare, dedecus verò, ſtare promiſſis; Sæpiùs nocumento edoctus, & verbis mellifluis eorum, qui decies plus quàm

ipſus expoſtulare auſus fuiſſem promiſerant, perſuaſus fui, ut hoc vel illud ſecretum communicarem; quam primùm manibus evaſit meis, contrarium expertus ſum; aut me loco remunerationis irriſerunt, aut rixari cœperunt, atque hoc modo beneficia mea in ipſos collata inſigni fuere compenſata impietate.

Proceſſus ſequitur.

Artificetur furnus ex lapidibus bonis, & ignum ſuſtinere valentibus, parvum aut magnum, ad placitum, vel ſecundum laboris tui neceſſitatem & commoditatem, modo ſequenti. Primò ſtruendus erit arcus, à terrâ circiter unam ulnam altus, qui ſuperius laminâ ferreâ, aut lapidibus ignem ſuſtinentibus tegatur & planetur, qui pes erit furni. Cujus longitudo ſuperare debet latitudinem quater, quemadmodum oſtendit figura hîc appoſita; ad arcum ſive pedem hunc furni adhuc alius erigendus furnus, internè amplus ad dimidium latitudinis furni longi, & altus circiter duas ulnas à ventilatoribus, cui injiciantur ligna, & ſuper iſto fornace, illo latere quo contiguus eſt furno fuſorio, habeatur foramen, per quod flamma è lignis accenſis furni focos perſtringat, & calefaciat, ſuperiùs adſit operculum ferreum, eum in finem, ut, lignis injectis, furnus eo tegi, & flamma cogi queat, ut à latere in furnum fuſorium intret, furnus autem

tem

tem fuſorius, foco jam perfecto, dividatur ſecundum longitudinem in tres partes ſive cameras, ita ut quælibet camera ſit quadrata, hoc eſt, tam lata ac longa, & inter quamlibet cameram interſit paries, cum foramine inferiùs, ut liber flammæ pateat tranſitus in ſecundam & tertiam cameram. Inter hanc & illam ſimilis intercedat ſeparatio ſive paries cum ſuo foramine, tertiaque ſive poſtrema ſit clauſa, & excepto ſuo oſtiolo unicum ſaltem foramen habeat, per quod flamma exire poſſit; ſinatur quoque in uno latere furni, in unâquâque Camerâ foramen, per quod foci diſcerni,. Mineræ & Metalla imponi & eximi queant, Cameræ verò unum, vel unum & dimidium pedem non ſuperent altitudine, quarum in ſuperiore parte operculum è bonâ terrâ ſive pileus optimè lutatus accommodetur hoc modo, ut opportunè, quandocunque opus fuerit, forcipe auferri & iterum apponi poſſit. Omnibus hiſce ſic ritè paratis, fiat in primâ camerâ focus ex terrâ ignem ſuſtinente, mediocri, nec nimis pingui, nec nimis macrâ, & in ſecundâ teſta ex argillâ vel cineribus lignorum, ſed in tertiâ focus ex bonâ terra, accendaturque in nomine Domini ignis in furno illo laterali, ut furnus cum ſuis focis optimè exſiccetur. Quo facto, imponatur cameræ poſtremæ Minera ☉ vel ☽ ritè præparata, ut pedetentim incaleſcat, torreatur, ſed non fundatur, quod mediante oſtiolo impediri,

pediri, ignisque ad nutum regi potest, prout necesse est, atque minera requirit, vel tolerare valet; movendæque sunt interdum unco Mineræ, atque vertendæ, ut undiquaque benè pertorreantur. In prima camera imponatur tantum plumbi, quantum focus ferre poterit & capere, & si benè agitat, superponatur unum cochleare post alterum consequenter Mineræ torrefactæ ex Camerâ postremâ, agitanti illi plumbo, vertaturque unco ferreo, & sinatur tam diu super eo, donec plumbum attraxerit Metallum; tunc scoriæ extrahendæ unco ferreo ad hoc opus apto, & seponendæ, deinde iterum alia Minera torrida pellenti plumbo superponendum, & ita fusio, versio, & extractio scoriarum, tam diu continuetur, quàm diù habetur ad manus Minera, aut quantum focus sufficere queat, & si durante isto labore plumbum satis magnâ quantitate auro vel argento ex Minerâ impraegnatum fuerit, (quod percipitur, eximendo parvulo cochleari probulam aliquam, in cupellâ examinandam) tunc super illo Nitrum comburatur, & hoc 2 aut 3 repetatur, ita enim purificatur plumbum, candescit, & ductile redditur, transit libenter in testâ, & sine prædatione, quod tamen fieret, si non depuratus fuisset prius Nitro, plumbum in quod ivit argentum & aurum magno cochleari è foco hauriendum, focusque è cineribus factus, in mediâ camerâ eo implendus, follis in eum dirigendus,

dus, pruna in aliud latus difflanda, & secundum morem communem plumbum in sal deducendum postea, placenta ☉, vel ☽, eximenda, & consequenter in bonis testis, subdepuranda: possunt itaque isto in furno tres perfici labores, plus retinetur Auri & Argenti, quàm aliquo alio modo: sufflationes multum prædantur metalli, & combustio redigit id in scorias, quod suavis è ligno flamma non facit; Abstractæ scoriæ per altum furnum sinantur transire, si quid plumbi adhuc inest, servabitur, & impendi poterit ad priores labores, nimirùm in primâ Camerâ, (ad torrendum Mineras, ipsis Aurum & Argentum deprædandum) hocce modo nihil perditur, sed non solùm plus Auri & Argenti obtinetur, & non tàm magna fit carbonum jactura. Hujusmodi autem furni semper duo habeantur, aut plures (si adest copia Minerarum) in laboratorio, eum in finem, ut si in uno laboratur, alter reparari, aut novis denuò focis instrui possit.

Modus iste optimus & utilissimus est fundendi Auri, Argenti, ut & plumbi Mineras ☽, in se continentes, & hoc sine carbonibus, & forti sufflatione, sed solùm lignorum flammâ, A. Pes furni, B. C. D. Tres Cameræ, E. F. G. Tria ostiola Camerarum, per quæ Mineræ & Metalla imponuntur & eximuntur, H. Coperculum vel pileus furni, I. Ventilatores, per quos flamma regitur, K. Tria foramina in parieti-

rietibus aut separatoriis Camerarum, per quæ transit flamma, ad excalfaciendum Cameras & focum, L. Furnus à latere, cui injiciuntur arida ligna, M. Foramen cinerum, N. Ipsius operculum, O. Foramen laterale per quod flamma in Cameras ducitur, P. Unci quibus in torrefactione Mineræ vertuntur, & scoriæ à plumbo abstrahuntur, Q. Cochleare quo torrefacta Minera plumbo agitanti superponitur, plumbumque auro & argento imprægnatum è primo foco fusorio suprà alium hauritur, R. Forcipes quibus aurea & argentea placenta ex foco agitatorio eximuntur, S. Furnus, in quo placenta aurea & argentea perfectè depurantur, T. Testæ, V. Cineritia. NB. Opera è primo foco venientia possunt quoque in secundâ camerâ perfectè depelli & agitari, præstat tamen id facere in testis ad hoc aptis sub

NB. Quantum attinet istum punctum, majoris est momenti, quàm ut hic & alter credere possit, quia in patriâ nostrâ multis in locis ditissimæ reperiuntur auri & argenti Mineræ & copiosæ, quæ tamen magnam partem non rectè depurantur, tùm quòd communi more fundendi adeò parùm largiantur, ut solvendis carbonum impensis non sufficiant, tùm quòd ignotum adhuc, quantum in se contineant boni, & ita obscurè jacent hinc inde, quæ, magno tamen emolumento, hoc modo, optimè perficerentur. Novi ejusmodi Mineras variis in locis,

cis ; quas reperi ſecundum probam communem pauperrimas, meo verò modo ditiſſimas. Ungaria, Bohemia, Carinthia, Stiria, Salisburgium, & Tyrolis quoſnam in regionibus veſtris poſſidetis theſauros, vobis ignotos, & tamen facili negotio obtinendos? Quos habet Miſnia, Thuringia, Brunſvigium, & Fichtelberg abſconditos theſauros, qui nulli ſunt bono? Quilibet ſanæ mentis obſervatione non uſque adeò laborioſâ diſcernet, quantum inter notum, & meum fundendi modum intercedat diſcrimen, modò rem ſeriò meditetur. Plumbi minera non indiget exquiſitâ fundendi arte, parvo etiam emitur, nec magnum fert damnum, etiamſi fuſione quid comburatur, aut retrò maneat. Similiter cupri fundendi ratio ſatis eſt vulgaris, per furnos altos, & forti ſufflatione. Sed Auri & Argenti Mineræ non ita craſſo, ſed aliquo alio modo ſubtiliori & utiliori tractandæ ſunt, ne quid de ipſis deperdatur, ſed uſui & commodo majori, quàm hactenus factum, eſſe poſſint. Nam omnes Auri Mineræ, licèt non in aliis magnis ſaxis montibus erutis, ut plurimùm tamen in ſilicibus, lapidibus ferrum continentibus, aut alio aliquo crudo minerali, in quo ſæpiùs Antimonium, ſulphur rubrum, & Arſenicum unà cum Minerâ ☉ mixtum, invenitur, ut videre eſt præcipuè in Carinthiacis, & in confiniis repertis. Quomodo poteſt talis Minera ſine jacturâ, viâ communi,

muni, si super prunâ funditur, suum reddere fructum, quem in sera conditum fovet, sive sit torrefacta, sive non, si prunis superinjecta, forti agitatur sufflatione, evolat quod immaturum est, rapiens secum omne bonum : quod remanet, abiit in scorias. Etiamsi enim ipsi commisceatur plumbum, plumbi minera, vel plumbi sal, tamen non conjuncta manent, sed funditur plumbum facilè, affluit, & relinquit Mineram, quæ forti sufflatione in scorias redigitur; multum auri retinentes, quod ita perditur unà cum altero in fumo evolante, reservatâ saltem minima parte, quæ plumbum intravit.
NB. Meo verò modo necesse est, ut Minera dometur, & eò adigatur, ut suum reddat aurum, si plumbo benè incorporetur, & volatile cum fixo conservetur : adde quod flamma leniter perstringens nihil prædatur, & hoc modo nullum metallum perditur; rem ita se habere, probabo aliqua similitudine vel comparatione; Probetur quocunque modo libuerit auri vel argenti minera, observeturque quantum in se contineat boni, posteà probetur eadem, magna quantitate super prunis, & reperietur multò minus eò quod in parva erat proba inventum, cùm tamen contrarium evenire deberet, quia magnus ignis parvo majorem in Mineras agendi vim obtinet; & hæc est causa unica, quòd magna copia violentiorem requirat ignem, (cunctis Mineris crudis & volatilibus adversum) meo

verò

verò modo invenietur tantum quantum in parvâ probâ, si non plus. Adhuc alium hîc monstrabo probationis ergò modum, multùm adeò abesse, ut viâ fundendi Mineras communi atque tritâ, non omne metallum exprimi, aut obtineri posse, sed interdum vix dimidium, aut tertia pars. Addantur 100. ℔. in minutissimum pulverem redactæ Mineræ, granulati plumbi b. 8, 12, 16, 1800 ℔. quantum ipsi Mineræ opus erit, misce Mineram & plumbi pulverem, quæ cochleari parvulo ardentissimæ sub cineritio positæ Cupellæ committenda, da fortem calorem, & plumbum attrahet omne Metallum ex Minera, & ejicit scoriam, quæ agitanti plumbo insidebit; quo facto, habeas ad manum unculum ferreum ardentem, quo scoriam super plumbo hinc inde benè dimovere poteris, eum in finem, ut, si quid in scoriâ adhuc boni remaneat, plumbum in istâ dimotione adhuc apprehendere & ad se rapere queat; sine postmodùm scorias super plumbo parumper incalescere & ardere, ut benè fundatur, tùm rege ignem frigidiusculè, & reddentur scoriæ spissiores, & ut abstrahantur aptæ unculo ferreo, qui cuspide sit latiori, rotundo, & acuto, ut undiquaque à Cupellâ scoriæ egregiè & purè auferri & demi queant; quæ diligentissimè custodiantur, ne quid amittatur, & proba falsa sit futura. Peracto hoc, plumbum in Cupellâ remanens, decenti calore pellatur, tùm mane-

 bit

bit aurum vel argentum in illa, quod 100 ℔. Mineræ in ſe continebant; iſtud granum quoque auferendum & aſſervandum. NB. Dum probam facis Mineræ, poteris ſimul aliam Cupellam ejuſdem magnitudinis & gravitatis imponere, & tantum plumbi, quantum mineræ admixtum erat, ſine ea, ſolùm per ſe agitari ſinere. Granum huic inſidens, ab altero, quod è Minera venit ſubtrahendum, & quod remanebit, erit quod Minera continebat. Poſteà pendendæ ſunt invicem binæ Cupellæ, & quantò gravior hæc erit, in qua Minera agitata fuit, illa in qua plumbum ſolum agitatum, tantum plumbi aut cupri continebant 100 ℔. Mineræ, & tantum auri aut argenti quantum pendit Granum, in Cupella remanens, & tantum ſcoriarum, quantum ablatum & abſtractum erat unculo. NB. Objiciet aliquis, non tàm accuratè & purè ſcorias à Cupella adimi poſſe, quin aliquid relinquatur? Reſpondetur, licet non tàm accurata fiat & pura ſcoriarum ademptio, quod tamen fieri poſſet, modò adhibeatur diligentia, quia ſcoriæ auferendæ non puræ ſunt ſcoriæ, ſed continent adhuc aliquid plumbi, quod facile, tàm grave imò gravius eſſe poterit, ipſis ſcoriis in Cupella remanentibus, & auferri non potentibus, probam nihilominus juſtam eſſe atque bonam. Quod ſi fuſione facta in magna copia, tantum ☽,

aut

aut ☉, ♀, aut ♃, (NB. ferrum & ſtannum non hoc poſſunt probari modo) quantum parva tibi monſtrabat proba, invenies, crede te non rectè proceſſiſſe, & quod amiſſum unà cum fumo evolaſſe, aut combuſtione abiiſſe in ſcorias. Cùm igitur iſta proba magni ſit ponderis, & opus magnum fuſorium ſecundùm eam inſtituendum, declarandus erit mihi labor iſte uberiùs. Exempli gratia, accipiam duas Cupellas, in unam eandemque formam accommodatas, pendam ipſas invicem, ſi una gravior altera, tùm cultro derado ſuperius aut inferiùs parùm, ut ſit æquilibrium, poſteà ponam ipſas conjunctè ad latus, aut hanc antè illam retro ſub cineritio, ſi candent, imponam huic Mineram, cum granulato Saturno mixtam, illi granulatum plumbum ſolum, ſinam agitari ſimul, ab hac, ubi Minera ineſt ſcorias abſtraham tempeſtivè, & ambas ceſſare faciam. Poſito nunc, me 100 ℔. Mineræ, 1200 ℔. Plumbi addidiſſe, & in altera Cupella etiam 1200 Plumbi agitaſſe; & quamlibet Cupellam 3 lothones ſecundum pondus civile pependiſſe; & invenire in ea Cupella in qua Minera fuit agitata, granum auri aut argenti pendens ſecundum libram probatoriam 9 lothones, & in altera granum Lunæ pendens 3 lothones, quod 1200 ℔. Plumbi reddiderunt. Cùm verò Mineræ quoque 1200 ℔. Plumbi addiderim,

illæ 1200 ℔. Saturni etiam 3 lothones dederunt, quos à 9 lothonibus abstraho, tùm remanent 6 lothones Lunæ Solis, quos 100 ℔. Mineræ dederunt. NB. Si nunc scire velim, an Minera quoque Plumbum aut Cuprum continuerit, & quantum, tùm pendo invicem ambas Cupellas, observans, quanto illa in qua Minera agitata fuit, gravior sit altera in qua Saturnus solus fuit agitatus, tantum affirmare possum fuisse Plumbum aut Cuprum unà cum Sole aut Luna in Minera. Posito: Cupellam in qua Minera fuit agitata, pendere 30 ℔. secundum pondus probatorium, plus alterâ in qua Plumbum solum fuit agitatum; tum certus sum, tantum adfuisse Plumbi aut Cupri in Minera unà cum Luna aut Sole (Mars enim & Jupiter Cupellam non intrant, sed in scorias abeunt, Sol & Luna verò in Cupella manent) pondus autem remanens, nimirum 70 ℔. omnes in scoriis inveniri, parum enim cum fumo evolat. Isto modo adverti potest, quantum 100 ℔. Cupri aut Plumbi Minera boni Cupri & Plumbi contineat, sive simul adsit Sol & Luna sive non, secundùm quod facienda computatio, an sufficiat expensis in magna copia, an non, & quantum lucri inde sit hauriendum. Hæc est proba desideratissima ad usum Auri & Argenti quod in ista invenitur, necesse est ut etiam in magna copia reddatur; secus si eveniat, tùm error adscribendus

dus eſt labori; Ad Mineras Cupri & Plumbi iſta proba non ſuccedit in magna copia, etiamſi eâ certò ſciri poſſit, quantum ſint 100 ℔. bina enim Metalla facilè igne comburuntur, & in ſcorias adducuntur, quod non evenit Auro aut Argento ſi rectè tractantur; Solummodò hic indicatur ut appareat, quantum Veneris aut Saturni in 100 ℔. Mineræ Veneris aut Saturni contineatur, quod autem impoſſibile eſt extorquere in magna copia viâ communi & notâ; ejuſmodi enim mollia & ſulphurea Metalla multum amittunt, quia pars forti ſufflatione expellitur, pars altera in ſcorias redigitur, meo modo nihil, & parum retrò manet. Aliam adhuc novi viam & rationem iſtaque meliorem, Mineras Solis, Lunæ, Veneris & Saturni, utili quodam compendio perficiendi; cùm verò in Miraculo Mundi iſtiuſmodi laboris nulla fuit facta mentio, & jam tacebo. Novi quoque modum è pauperrimis Cupri Mineris quarum ubique ſatis magna copia reperitur, expenſiſque fabricatoriis ſolvendis non ſufficientibus, ſine magno labore & impenſis, omne Cuprum in eis contentum purè extrahendi, eoque magnum faciendi lucrum, ita ut vix 1 ℔. Cupri in 100 ℔. ſcoriarum retro maneat & amittatur.

PUN-

PUNCTUS III.

Volatiles & immaturi pyrites ☉ & ☽ trium horarum ſpacio figuntur, ut duplum metalli reddant, quam abſque fixatione potuiſſent.

Hæc tria, omni Magiſtratui, in ſua ditione fodinas habenti, maximè neceſſaria & utilia ſunt, quibus multæ opes comparantur.

Fixatio iſta ſingulare eſt Secretum perficiendi Mineras in totum crudas, Antimoniales, Arſenicales, quæ communiter parùm reddunt auri. Cum enim Mineræ multùm Arſenici, Antimonii, aut auripigmenti contineant, atque viâ tritâ torreantur, tùm prædatur Arſenicum aut auripigmentum multum auri, in fumo evolante, ſi verò fundantur ſine præeunte torrefactione, tùm ſufflatio plus rapit, ſi ab iſtiuſmodi Minerâ flavum aut rubrum Sulphur, Arſenicum, aut aliæ ſubſtantiæ rapaces, in vaſis terreis clauſis detrahatur, ut à multis fit, tùm comburitur hoc modo Minera, amittit fluxum ſuum & ingreſſum in plumbum, ut multum auri in ſcorias redigatur atque perdatur, hoc ut præcaveatur, conducet modus iſte optimus; Miſceatur 1 parti Mineræ $\frac{1}{2}$ pars Nitri, incendatur prunâ, & figatur, tùm Nitrum maximam comburit partem Sulphuris rapacis, & reliquam figit, ut non multum de auro prædetur, & ſuum ſervet fluxum, inque plumbum ingreſſum, ſi ipſi in furno præcedenti imponatur, & eodem agitetur, reddit omne quod

quod in se continuit ☉ & ☽ nihilque amittitur. Hic objiciet quis; licet hoc modo plus obtineatur auri: Nitrum tamen opus carè æstimare facit, quod equidem ipse confiteor, si Nitrum carè venditur: Sed si culturâ artificiosâ semper ad manus haberi poterit, parvo constabit, & perficietur ista torrefactio & fixatio magno emolumento.

Punctus IV.

Omne ☉ & ☽ ex suo pyrite non purè eliquatum, celeriter ab omni additamento purgatur, ☽ ab ☉ separatur, sola fusione, exiguo labore & sumtu, sed magno pondere.

Modus iste ☉ & ☽ ab omni additione facili negotio & citò purificandi, est res utilissima, & ars scitu maximè necessaria iis qui metalla tractant; citiùs fit, quàm per modum cupellandi aut agitandi plumbo, sed majoris est pretii, ob Nitrum; interim tamen est labor jucundus, & fit hoc modo: Ponatur tigillum impuri auri aut argenti in tali furno, qui parte quartâ furnorum depictus cernitur, fundantur, injiciaturque aliquid reguli Antimonii, parùm aut multùm secundùm majorem minoremve ☉ impuritatem, & prout majori vel minori opus habeat lavacro ad sui purificationem, Omnibus in tigillo clare fluentibus, superinjiciatur Metallo partitis vicibus Nitri

 tan-

tantum circiter, quantum Soli ineſt additamenti, ſinatur fluere, tùm attrahit Nitrum regulum Antimonii, unà cum cruditate Sole contenta, quæ abit in ſcorias, valetque iſte proceſſus non ſolùm ad impurum ☉, & ☽, ſed etiam ad tale ☉, & ☉, quæ Cuprum, ferrum, plumbum, ſtannum, chalcitidem, orichalcum, aliaſque res Metallicas & Minerales continent, præſertim ſtannum, quod ſatis difficulter per plumbum à Sole & Luna ſine damno ſeparari poteſt. Hoc autem modo fit facillimè & citò; ut verò quid ſentiam rectiùs intelligatur, & minus in labore erretur, proceſſum hîc clarè & expreſſis verbis apponere lubuit. Poſito, uni libræ Auri aut Argenti ineſſe 2 lothones Cupri, & 3 lothones ſtanni, quæ velim ſeparari, & ſi noto modo fieri deberet, per plumbum, agitatione, opus eſſet ad minimum 30 vel 40 lothonibus plumbi, & tamen pars una Solis aut Lunæ amitteretur: meo verò modo 2 lothonibus Veneris & 3 lothonibus Jovis adjunge 5 lothones reguli Antimonii, & abſtrahe regulum Antimonii unà cum additamento cupri & ſtanni, mediante Nitro, quod in tigillo ſpatio unius horæ fieri poteſt, quod tamen communi modo torrefactione & agitatione vix 10 aut 12 horis fieri potuiſſet, nihilque perditur de additamentis, omne in ſcoriis remanet, è quibus poſtmodùm tàm ♃ quàm ♀ & regulus Antimonii recupe-

cuperari poteſt, ſi repoſitis nimirum ſcoriis, in quibus Venus, Jupiter & regulus Antimonii eſt, in tigillo, ſuperinjectâ prunulâ, & tecto poſteà tigillo, horæ quadrantem fluant, effundantur, tùm invenietur in fundo vaſis infuſorii parvus Regulus, in quo Sol aut Luna remanens erit, quæ ſcoriæ prædabantur, in Cupellâ depurentur, ſi nondùm fuerint pura; poſteà injectâ denuò ſcoriis fuſis prunulâ, ſine fluere ſimul & benè, iterum alius cadet regulus à Cupro, ♃ & ♂ remanet in ſcoriis, & neque carbonibus neque aliâ arte adigi in regulum poteſt; Si verò ejuſmodi ſcoriæ per furnum pellantur probatorium, tùm etiam reddunt ♃ & melius adhuc, quàm fuit anteà. Proceſſus iſte non ſolùm eſt jucundus, artificioſus & celeritate perfacilis, Aurum & Argentum ab omnibus additamentis citò & purè ſequeſtrandi, ſed magnum etiam in ſe recondit myſterium. Quia verò propoſui, ſolùm ea probare vera eſſe ac naturalia, quorum in Miraculo Mundi facta mentio, jam dicta ſufficiant, deſideratumque hîc aliis inſequentibus proceſſibus declaratione ſuâ & perſpicuâ ſatisfactione gaudebit.

Punctus V.

A veteribus vaſis ſtanneis ſuum Plumbum, ☉ & ☽ facile detrahitur, ipſum ♃, pondere paulo minori, melius quam antea erat, redditum, iiſdem uſibus, quibus vulgo deſtinatur inſervit.

Processus iste optime quoque perficitur mediante Nitro, nimirùm hoc modo: Redigatur ♃, in quo ☉, & ☽, in cineres quemadmodum plumbum præparari solet, ad agitandum mineras, & admisceatur ipsi tantum pulverisati Nitri, imponatur ista mixtura forti & ignem sustinenti cacabo, cui superponantur ollæ sublimatoriæ, accendatur mixtura in cacabo (qui sub ollis sublimatoriis parvulum habeat foramen) virgulâ ferreâ candenti, tum incipit massa uri, & multos reddit flores, ollis sublimatoriis, remanens stannum & Salpetræ in cacabo, eximatur, & in tigillo fundatur, si multum adfuerit plumbum, tum se unà cum Sole & Luna fundo tigilli committet, stannum verò cum Nitro in scorias abibit, quæ, si massa fusa in vas fusorium effundatur, separantur à Regulo plumbi, & post refrigerationem excuti poterunt, qui plumbi Regulus additione alius plumbi denuò agitetur, & in forti tigillo cum Nitro in scorias redigatur; tum remanebit parvus plumbi Regulus, qui continet ☉ & ☽ in se quod in ♃ fuit. Primæ & ultimæ scoriæ possunt in furno probatorio forti sufflatione reduci, tum denuò obtinebitur Stannum quod melius, durius, & albius est, quàm fuit antè; causa est, quòd Nitrum partem sulphuris combustibilis consumpsit, & simul quoque plumbum separatum. Etiamsi processus iste non tàm magno

fiat

fiat emolumento ; interim tamen videre licet possibilitatem ; qui verò benè noverit rem tractare, nihil feret damni, nam flores illi sublimati, majoris sunt pretii, ipso Salepetræ & stanno, quia in bonam præparari possunt Medicinam, valentque ad colores illos rubicundissimos (carmesin) plurimùm, consimilia miris modis exaltantes, & panno constans, micans & igneum fundamentum præbentes.

Punctus VI.

Ex Bismutho multum ☽ sequestratur, Bismutho servato, conveniens locis hoc minerali abundantibus secretum.

Secretum istud non est tàm parvi ponderis, ut quibusdam forsitan videbitur ; nemo enim ad hunc usque diem hoc re ipsa & effectu probavit, cùm tamen facilè possit fieri, isto nimirum modo: fundatur in tigillo chalcitis, & ipsi superinjiciatur successivè Nitri tantum, donec omnis eo chalcitis in scorias aut vitrum viride abeat, massa effundatur in vas fusorium, tùm Luna formâ Reguli fundo insidebit, quod chalcitide continebatur, scoriæ verò chalcitidis denuò committenda sunt tigillo, imponenda pruna, fundantur invicem horam integram, tùm reviviscet chalcitis omnis, corporalis redditur, & parum amittitur. Qui Salem igitur

igitur Nitri ipſemet conficere poterit, & non carè emere neceſſe habuerit, magnam reportabit exinde utilitatem, aliàs non; ſaltem hic comprobatur, Sale terræ perfici poſſe, quod ipſi eſt attributum.

Punctus VII.

Ex veteri cupro multum ☽ ſecernitur, cupro illæſo, quo artificio regiones hujus metalli feraces ſibi non parum profuerint.

Ut iſtud verificetur, ex Cupro poſſe mediante Sale terræ argentum extrahi, hoc proceditur modo; Admiſcendum Cupro tantum reguli Antimonii, quantum ipſum pendit, fundantur deinde ſimul ambo, quibus ſucceſſivè tantum Salis Nitri ſuperinjiciendum, donec totum Cuprum una cum regulo Antimonii in virides abierit ſcorias, tùm fortior ſtruatur ignis, & fluent ſcoriæ iſtæ, ſicut aqua, & emittent Regulum, qui licet non ſit ſatis purus, poterit tamen addito pauco plumbo in Cupellâ depurari, & reddet ☽, quod Venus in ſe continuit. NB. Iſte proceſſus veriſſimus, neminem unquàm decipiet, divitias vero hocce medio obtineri poſſe non equidem dixerim, ſed ſaltem probo verum eſſe, quod in Miraculo Mundi ipſi adſcripſi. NB. Qui verò noverit ſcorias, id eſt, Cuprum & reg. Antimonii cum Sale figere, & in Amauſa fundere, ut non amittantur, is cer-

certè non fruſtraneum ſubibit laborem; aliàs quoque poterit ſcoriis, à quibus ſeparatum eſt Argentum pruna ſuperinjici, ut dimidium fluant, tùm relinquit reg. Antimonii unà cum Cupro quod Nitrum in Scorias redegit, denuo alium regulum, uſui applicandum. Quæ ſi omnia benè tractentur, ex ambobus nempe reg. Antim. & Cupro (poſt eorundem edulcorationem) viridis color pictorius extrahi poterit, & ita labores compenſabuntur, & lucrum tanto fiet majus.

Punctus VIII.

Quodvis vulgare ☽ paucarum horarum ſpacio in ☉ eam naturam exaltatur; quod ſi 4 vel pluries fiat, quod brevi temporis interſtitio fit, tantum auri dat, ut impenſis præponderans victum neceſſarium ſuppeditet.

Gradatio iſta Argenti peragitur ope cujuſdam Sulphuris Mineralis, Martis nimirùm & Antimonii, hoc modo. Adjungatur Lunæ tantum reg. Antimon. martial. & iterum ſeparetur ab illo per Nitrum, qui labor ſpatio unius horæ perficitur, remanenti Argento jungatur denuò tantum reguli, qui abſtrahendus iterùm eſt; & labor iſte 5, 6, 8. aut decies reiteretur, quod unicâ poteſt fieri die, ſolvatur poſtmodùm Luna Aq. fort. tùm manebit in fundo Aurum quòd Nitrum reg. Antimonii ope Lunæ indidit, edulcoretur & cum borrace corporifice-

ficetur, bonum erit aurum gradu excellenti. Sed hujusmodi auri valor vix tantus eſt, ut reg. & Nitrum ſolvat. Qui verò Nitrum ipſus conficere noverit, aut ſine pretio obtinere, utilitatem accipiet non parvi ponderis: & præſtat ſcorias detractas ſcire in ulteriorem transferre uſum; quod hic non quæritur, ſed ſaltem probatur, ☽ poſſe in aurum exaltari, ope reg. Ant. Mart.

Punctus IX.

Aurum ab omni additione cupri, ſtanni, ferri, plumbi, Orichalci, Antimonii, Arſenici ſimiliumve, fuſione ſeparatur, & abſque cupellis purificatur, ſingulis ſeorſim ſervatis, metallurgis ſimilibuſque utile, ex temporis brevitate, exiguis impenſis ac labore multum lucri capturis.

Modus iſte Metalla ſeparandi à ſe invicem fuſione; & ſine Cupellis depurandi, jucundiſſimum, pulcherrimum, & utiliſſimum eſt ſecretum, quo in ſeparatione Metallorum multum tempori parcitur & expenſis, & nullum metuendum detrimentum, à nemine in hunc uſque diem me excepto effectui datum: & iſto proceditur modo: Primò metallum mixtum ſeu ex pluribus aliis mixtis conſtans granulandum, grana quartæ parti pulveriſati Sulphuris humidè conjungenda, & in tigillo lutato ſecundum artis uſum accendenda, quo facto, auferendum coperculum, accenſum metallum quarta parte Anti-

Antimonii tegere. NB. Quòd si nimium ♂ ♀ aut ♃ ipsis inesset, tùm eò plus etiam Antim. adjungendum erit, ut imperfecta metalla ad se trahere possit. Fluente igitur massa cum Antimon. injiciendum parum sicci & pulverisati optimè purificati Nitri, & cum eâ fluere sinendum, massa effundenda in vas fusorium, à qua facta refrigeratione, regulus excutiatur, si aderit, qui plurimam partem ☉ quod erat in massa, continebit. NB. si nullus adfuerit Regulus, tùm signum erit, parum nitri multæ cruditati non suffecisse, cui sic medendum: tigillo redde massam, & sine eam fluere, quo facto, injice tantum rasuræ ferri, quantum credis ☉ massæ inesse, & misce illam cum massa unco ferreo candenti, operi tigillum, da quadrantem adhuc horæ ignem fusionis, effunde in vas fusorium, facta refrigeratione, excute Regulum à scoriis, qui gravitate sua æquabit circiter rasuram ferri, qua usus es ad præcipitandum, purifica regulum in tigillo parvo & puro, injectione Nitri, si dat aurum sine Luna tùm est signum, massæ adhuc inesse aurum; necessum ergò est, massam fluxam ferro præcipitare, si regulus adhuc sit aureus, tùm seorsim per nitrum depurandus, & reponendus; si verò plus ☽ quàm auri habeat, signum erit, omne decidisse aurum. posteà massa fluere sinenda denuò, & tantum injiciendum rasuræ ferri, uncoque candenti cum massa dimoven-

dum

dum, benè fluere ſinendum ſimul, tum reddit tantum Argenti regulus, quantum ferri injectum fuit. Poſteà præcipitetur quoque Venus, & omnium ultimo ſcoriæ Nitro mixtæ denuò benè fluere ſinendæ, ut appareat an aliquid adhuc inſit metalli. Eodem etiam modo Lunæ Reguli Nitro depurantur, quo Solis Reguli. Venus, Jupiter aliaque additamenta, ſufflatione fundantur, ita ut nihil pereat. Separatio iſta Solis & Lunæ fuſione à metallis vilioribus, jam dudum à multis quæſita, à paucis verò (ut equidem autumo) eſt inventa. Lazarus Erkerus ſcriptis tradidit, quibus ſeparandus eſt modis fuſione Sol à Luna ſed iſta ſeparatio nihil commercii habet cum modò mentionata, quia hic non ſolum docetur, quomodo Sol à Luna ſed etiam quâ viâ ab aliis metallis ſit ſeparandus.

Punctus X.

Omne imperfectum met. abſque aliorum metallorum conſortio, ſolo hoc ſecreto igne horæ ſpacio maturatur, ut ☉ & ☽ tum in examine, ſed abſque lucro reddat; indicio, quod ſequiora in perfectorum naturam arte promoveantur, magno metallurgorum commodo.

Iſtud fit ſolùm vi & virtute Salis Nitri, quâ Metallum penetratur, depuratur, & in perfectius figitur, aut maturitate exaltatur, verùm non magno emolumento in magnâ copiâ iſtud perficitur; ſaltem probatur, Nitrum virtutem obti-

obtinere, imperfecta metalla quævis transmutandi in perfecta, quod hoc fit modo. Metallum laminetur, sive sit Venus, Saturnus aut Jupiter tenuissimè, (Mars hac ratione corrigitur quidem, sed in tigillo non funditur, Mercurius quoque, & in alias formas transmutatur, sed non in ☉ aut ☽.) fiat in tigillo stratum super stratum ramentis lignorum, Sulphure, & Nitro, ut & metallo laminato, quorum secundâ parte furnorum facta est mentio, accende mixturam superiùs, tùm magnus suscitabitur & subitaneus ignis flammiger, quo metallum laminatum penetratur, partim figitur, & emendatur, ita ut, si in Cupellâ cum plumbo agitetur, aliquid ☽ aut ☉ relinquat, quod tamen ante nihil quicquam hujus vel illius dedisset, undè palam fit, flammam Nitro excitatam metalla corrigere. NB. Mercurius coagulandus est priùs, chalcitis autem pulverisanda, antequàm igni subitaneo Nitri commisceatur, & accendatur. Hisce laboribus, licet parvi momenti æstimentur, magnum reconditur mysterium, quod tamen à nemine aliquo in pretio habebitur, etiamsi claris detegatur verbis, quia processus vilis est, non magno constat, & spatio quadrantis horæ peragi potest.

PUNCTUS XI.

Metalla quoque in eodem Subjecto in formam vegetabilium coram oculis excrescunt, intervallo 2 triumve horarum digiti vel palmi altitudine in multos ramos &

 ta-

ramusculos panduntur, sine fructu quidem; sed demonstrationi, ipsa etiam metalla in eo instar vegetabilium germinare.

Punctus iste hic est appositus in eum saltem finem, ut pateret, Nitrum vim habere faciendi crescere metalla in modum Vegetabilium. Quod quidem etiam liquor Silicum præstat de qua re in 2 parte furnorum mentio facta; sed Nitri fixi liquor melior est, qui pulvere carbonum & silicum fixando præparatus est, qui similiter modus etiam 2 parte furnorum videri potest, ita ut non sit opus eundem hic repetere. Si igitur metalla præparata figurâ frustulorum huic liquori indantur, more herbarum virebunt & crescent, & citissimè, ita ut paucarum horarum spatio palmam altitudine æquent, quod visu delectabile, & meditatione singulari dignissimum, unde nam tùm subitaneum proficiscatur incrementum. Multa certè hac de re scribi possent, sed quia hoc in loco plura non promisi, quàm verificare in Miraculo Mundi attributa Sali terræ, modò dicta sufficiant.

Punctus XII.

Alia vero est perfectorum ex imperfectis crescentia & augmentatio lucrosa, vegetabilium germinationi respondens, quod quemadmodum omne semen terræ mandatum in ea germinat in herbam arboremve exurgens, sui incrementum insita vi attractrice ex eadem petit, similiter hic agitur, nempe ☉ vel ☽ in Saturno, Jove, Venere

vel

vel Marte tanquam nativo solo ac humore germinat, crescit, ritu herbarum alitur, & de die in diem augescit. Ars Philosophis non spernenda.

Quod istud attinet augmentum longè aliâ quàm præcedens fit viâ, istâ nimirùm: Jungitur Sol & Luna Plumbo, Jovi & Veneri vel Jovi soli, ubi quantum opus erit relinquitur; tum attrahit Sol ex Saturno aut aliis Metallis imperfectis, auream essentiam, augetur & gravior fit. Processus sic se habet: ℞. Unum lothonem Solis, 8 vel 10 lothones Saturni fundantur simul, si placet, poteris addere stannum aut Cuprum, aut sinere, impone aurum una cum Plumbo solo, aut aliis metallis permixtum forti tigillo, da ignem temperatum & continuum, ut solummodo Plumbum cum Auro fluere possit, sed non candeat, superinjice unum lothonem optimi Nitri, operi tigillum benè, ut nulli incidant carbones, sine ipsum in igne continuo & lento, tùm tali temporis spatio Plumbum unà cum cæteris metallis quæ admixta erant, in vitrum redigetur; Aurum vero solum purum tigilli fundo à vitro separatum inhærebit, quod fracto tigillo, eximere & pendere poteris, & invenies Aurum tuum ex Plumbo & aliis metallis accrevisse & augmentum accepisse. Etiamsi labor iste nihil ferat lucri, monstrat tamen, qua ratione noscendæ metallorum sint naturæ. Aliâ adhuc istud viâ tentari potest, sic nimirum: ℞. Unum lothonem Auri, junge ipsi 10 aut 12 lothones Plumbi & depelle Plumbum iterum super

bona testa, usque ad emicationem ☉, & reperies Aurum tuum multo gravius factum esse, quàm fuit ante, quam gravitatem solum è Plumbo traxit.

Punctus XIII.

Hoc mediante ex omnibus imperfectis met. & mineralibus, usitato cupellarum examine nil habentibus, sincerum ☉ & ☽ multiplici modo producitur; argumento, quod imperfecta in recessu aliquid perfecti habeant reconditum, sese cum invertuntur conspiciendum præbens. Opus metallis operam dantibus non ingratum.

Hæc sunt præcipua, quæ hujus Subjecti adminiculo in metallicis fieri posse sum expertus, plura haud dubie me latent, latebuntque, alii post me, bonum ex meis scriptis initium facienti revelanda, quod ei ex animo voveo, ut abscondita naturalium Dei miraculorum mysteria in usum generis humani tandem aliquando in lucem proferantur.

Ex modo enumeratis arcanis, quantumvis lectori vilia forte visis, sunt nonnulla, ex quibus commodus victus haberi potest, ut alterius mancipium esse non sit opus, ni voluerit. O quanta res est libertas, quam nemo digne æstimet, qui nunquam ipse servus fuerit: buccea panis cum quiete prudenti suavior est, quàm cum cura, periculo & strepitu multæ lautitiæ. Bene illi cui cum Paracelso dicere licet; *Alterius non sit, qui suus esse potest*. Melius autem ei, qui concessa Dei dona bene collocat, proximi non oblitus, ne temporaria libertas eum in æternæ servitutis barathrum præcipitet.

Postquam hoc Subjectum cunctis terræ civibus conducere ostendens solum ejus usum in metallicis descripsi, non omni homini indifferenter suscipiendis, sed illis tantum, quibus media ad colendas fodinas, metalla quoque

liquan-

liquanda & separanda suppetunt, sive nobiles illi sint, sive plebeji, eruditi (tam sprituales, quam seculares, à publicis muniis immunes) & rudes, qui ex mercatura, censuque victitant, similesque, qui omnes ex his secretis fructum capere possunt, non autem opifices, pastinatores, rusticolæ. Sed ut & his aliquid utilitatis ex meis inventis proveniat, ordine ostendam.

Principes erunt ingeniosi artifices, sculptores, pictores, statuarii, ii qui vitra vel etiam vestes, serico, auro argentove pingunt, ceramque in imagines effingunt.

Si velimus è Metallis imperfectis Aurum & Argentum ope Nitri pellere, adjungendus erit ipsis æquali pondere regulus Antimon, ut frangibilia reddantur, & pulverisari apta, quæque Nitro commisceri & fixari possint, secundum probam istam: ℞. 2 aut 3 lothones aut Cupri, Plumbi, Stanni aut chalcitidis, funde tantum reguli Antimon, pulveriza mixturam, & admisce pondus æquale optimi Nitri, mixturam tigillo impone, accende eam prunâ, tum metallum per Nitrum in scorias redigitur, quas fortissimo igne, in furno ventilante fundere debes, tum metallum in Regulum abibit, regulus autem in scoriis manebit, quæ injectione prunæ præcipitari & in regulum adigi poterunt. Metallicum verò Regulum pende secundum pondus centenarium, & depelle ipsum (si Plumbum est) per se super testa, tum invenies ipsum continere Argentum & Aurum, quod Metallum anteà non habuit. Si Metallum est Cuprum aut chalcitis, addenda erit ipsi debita proportio Plumbi,

ut super Cupella agitetur; tum relinquit Aurum & Argentum quod sine hac operatione non reliquisset. Etiam alio modo hic potest labor perfici, sic nimirum: Misce ♄ aut ♀ tantum reg. Antimon. quantum pendit, sine fluat bene cum metallo in furno fusorio, injice paulatim & successive tantum Nitri mixturæ, quantum pependerunt ambo, tum regulus cum metallo per Nitrum accendetur, aliquid sulphuris superflui comburetur, & in scorias adigetur, postea da ignem fortem, ut istiusmodi scoriæ bene fundantur, tum à Regulo separabitur metallum, quod depelli poterit, & patebit correctio metalli, beneficio nitri facta.

Quod attinet 13 istos labores Metallicos, per se optimi sunt, & unicuique metalla tractanti scitu perutiles; horum quidam si accurate procedant, & à perito artifice, magno possunt esse emolumento; fiuntque omnes ope Salis terræ. Istos autem labores aliâ quoque viâ, ubi nullo opus nitro, perfici posse, non eo inficias. Non id nunc intendo, saltem probo, cuncta talia Secreta & transmutationes contemptui habito Terræ sale effectui dari posse.

In

In Mechanicis.

Punctus I.

Qui æs incidunt bonam ex eo parabunt aquam corrosivam, qua cupreis laminis, prius idoneo tectorio incrustatis icones rerum, quas voluerint, stylo exaratæ facili negotio magnoque eorum compendio eroduntur, alias longa temporis mora æri cælo suo insculpendæ.

Aquam fortem corrosivam & graduantem è Nitro destillatione præparari posse, non opus est ulla probatione, satis patet, & quibus fiat modis, omnibus etiam notum, ut res ubique vulgaris, saltem hic probatur, artem hanc beneficio Salis terræ perfici posse.

Punctus II.

Pictores sibi inde pulcherrimos è longinquo, Italia puta, Hollandia, Gallia, magnis impensis alias petendos colores parabunt, ultra marinum, cæruleum, Smaltam, puniceum, laccam, Venetum, cerussam, aliosque suis usibus necessarios.

Sale terræ egregios posse fieri colores pictorios, sic probabo: Smalta cœrulea aliàs præparatur ex arena fluxa, chalcitide, & cineribus figulinis: Si autem loco istorum cinerum accipiatur sal terræ fixum, Smalta non solùm fluxior redditur, sed etiam purior, propter Salem terræ, puriorem istis cineribus, Lacca carmesina ut plurimùm fit è floccis tonsis panni Carmesini, singulari lixivio, ad quod nitrum quoque sumitur, ut color extrahatur, præcipitandus, edulcoran-

dus, & super asserib. in Sole, aut hypocaustis calefactis exsiccandus. Viride æris & Cerussa parantur communiter ope aceti in vasis terreis in fimo equino positis; si autem Cuprum aut cerussa spiritu Nitri solvatur, & Cuprum lixivio salis Tartari, Plumbum vero aqua Salis præcipitetur, edulcoretur, & exsiccetur, tùm Cuprum exhibet colorem viridem, qui cunctis picturis usui esse poterit, alios colores non corrodens & perdens, ut commune solet facere Viride Hispanicum, cerussa vero delicatior redditur, candidior atque purior ope paratâ aceti, ubi plerumque multum cretæ permiscetur, ut augeatur, & non tam conducit picturis, ut nec officinis, ac ista per se facta.

PUNCTUS III.

Sculptores ac Statuarii instrumenta sua condurabunt, aciem si lapides cædendi sint, diutissime retinentia.

Ferrum Salibus in cæmentatione indurescere, ut loco chalybis inservire possit, palàm nunc est; Ferrum autem aut chalybs non solo sale communi, sed mixto cum pulvere carbonum & sale cinerum, quamdiu opus erit in cæmentatione retinenda, tum ferrum ut Chalybs indurescit, chalybs verò durior quàm fuit antè redditur.

PUNCTUS IV.

Phrygiones serico quemvis permanentem colorem inducent.

Scia-

Sciatur, Nitrum, ut ſalem depuratum colores facilè inducere, & conſtanter ſervare, immò ipſos exaltare, quod multi norunt, præſertim illi, qui pannum Conſinilibus carmoſino tingunt colore, dùm acutum Spiritum Nitri addunt ebullitioni, ad aluminandum (ut tinctores appellant) mirè exaltatur color iſte & igneus magis fit, ita ut cariùs vendi poſſit quàm commune Carmeſinum aut ſcarlatum ſive coccinum. Spiritus iſte Nitri crines quoque tingit, ungues, pennas aureo colore; ſi verò Nitrum calcinatione fuerit fixatum, tùm ſimiliter & æquè colores quidem exaltat, non verò in rubrum ſed in purpureum; Ad iſtos labores utuntur tinctores cineribus figulinis, Nitrum verò fixum multò purius eſt, opuſque reddit pulchrius impuris iſtis cineribus figulinis.

PUNCTUS V.

Qui vitra depingunt, levi operâ quoſvis vitreos colores ſive amauſa inde parabunt, ut eos Venetiis petere opus non ſit.

Conqueruntur interdum Pictores vitrarii, vitra ſua fuſoria vel Amauſa minùs eſſe fluxa, & vitrum priùs fundi in quo pingebant, ipſo colore; hiſce Sal terræ fixus inſerviet, ſi colores ipſi debitâ portione miſceantur, & invicem fundantur; hoc enim modo ad nutum fluxa reddentur.

PUNCTUS VI.

Qui ceram effigiant, eandem impensè dealbabunt coloresque ejus beneficio inducent.

Salia cum Aquâ, flavam tenuiter fusam atque Aëri expositam ceram, sæpissimè ipsi adsperſa, dealbare, ſatis notum & nullo opus teſtimonio, non autem melius ſal ipſo Nitro.

PUNCTUS VII.

Typographi item Subjectum atramento ſuo addent, firmiſſime chartæ adhæſuro, typoſque eo expurgabunt.

Salia fixa libenter atramentum Aquæ conjungere, non ignotum, nullum autem melius Nitro fixo, quod & omnibus lixiviis acerrimis (plumbum, ſtannum, cuprum, aut alia metalla depurandi vim obtinentibus) præcedit.

PUNCTUS VIII.

Horologiariis convenit, ſi ex eo Aqua deſtilletur, ferrum chalybem abſque igne ferruminans, ſi ei guttula iſtius Aquæ fortis inſtilletur, unde ferrum excaleſcens extemplo colliqueſcit, ac ſi beneficio cupri in igne ſolidatum fuiſſet.

Si diſtilletur Aqua fortis è Nitro & Vitriolo uſto, (NB. non autem Spiritui Aqua jungatur) & iſto 2 fruſtula ferri (inter quæ parum raſuræ ſit ferri) madefiant, tùm incaleſcit ferrum per Aquam fortem, quæ in idipſum agit, & alterum

jun-

jungitur alteri fundendo, ac si in igne fuisset opus peractum. Qui verò istâ velit uti Aquâ, hanc sciat ipse parare, quia nusquam talis reperitur.

PUNCTUS IX.

Omnes fabri limas cæteraque instrumenta ferrea eo durabunt, ac si ex durissimo chalybe concinnata essent.

Salia fixa, cum cineribus & pulvere carbonum aut arenâ mixta, postquàm manserint 24 h. tecto igne, ferrum indurare instar chalybis, suprâ puncto tertio fuit comprobatum.

PUNCTUS X.

Stannarii stannum eleganti candore ac duritie donabunt, ut clangorem argenti similem referat, nec facile sordescat, & ob duritiem vulgari ♃ diutius perennet.

Si stannum fusum sæpiùs extinguatur lixivio Nitri fixi, durius fit quàm fuit antè; aut si fluenti Nitro imponatur, & in eo fundi sinatur, tùm quoque magis indurescit. NB. Si verò stannum in scorias redigatur Nitro, scoriæque reducantur, durius & pulchrius redditur quàm duobus modis prioribus.

PUNCTUS XI, XII & XIII.

Scriniarii pyro, pruno, ceraso, buxo, nuci, aliisque densioribus lignis summum nigrorem inducent, quibus loco Hebeni Indici ad elegantia opera utantur.

Pel-

Pelliones martinas, vulpinas, lupinas, similesque pelles puniceo, coccino, aterrimoque colore inficient, ut nativos colores longe excedant.

Plumarum itidem tinctores quemvis constantem colorem plumis celerrimè conciliabunt.

Si è Nitro & vitriolo distilletur Aqua fortis, & in ea parum argenti solvatur, superfundaturque Aqua pluvialis, (ad infringendam vim Aq. fort.) tùm non solum omnia ligna dura eâ denigrantur, ut Ebenum repræsentent, sed etiam pelles & pennæ nigredine carbonibus similes evadunt, posito prius fundamento pennis, pellibus, & lignis, ut colores maneant firmi & durent. Hâc igitur ratione 11, 12, & 13 Punctus, simul verificati sunt.

PUNCTUS XIV.

Sartores laneis, lineis, sericisque vestibus maculas eximent, summque splendorem reddent.

E Nitro fixo tàm subtile & purum fit smegma, ut eo possit omnis macula vestimentis extrahi.

PUNCTUS XV.

Sutoribus si vetera ferramenta huic subjecto imponantur, corium summo nigrore decorabit.

Si Nitrum aceto solvatur, & diu in eo ferrum antiquum sinat, tum fit atramentum, quo corium denigrandum, non opus est autem tali atramento in eum usum, sed idem efficiet, si ferrum imponatur

natur aquæ casei; fit saltem mentio istius rei in Miraculo Mundi, ut pateat, Subjectum hoc Universale cunctis ac singulis artificibus usui esse posse.

Punctus XVI.

Textores fila linea tenerrima reddent, ut sericum æmulentur.

Lixivium forte, filum, si in eo coquatur læve reddere & delicatum, omnes nôrunt; cum verò Nitrum fixum sit melius lixivio forti, præstabit etiam hoc magis, lixivio aliquo communi.

Punctus XVII.

Tinctores pannis immutabilem basin dabunt; ut superinducti colores à nullo vino, aceto, urina, muria, aëre vel sole corrumpantur.

Spiritum Nitri, si cum alumine & tartaro primæ ebullitioni indatur, ad pannos aluminandos, constans præbere fundamentum, superiùs Puncto IV comprobatum est.

Punctus XVIII.

Figuli inde vitreum colorem parabunt, Indico Porcellano non absimilem, ex quo fictile fiet, aspectu aureum, argenteum vel cupreum, Magnatum mensis singulare ornamentum, hactenus mundo incognitum.

Vitrificatio vasorum fictilium, ut appareant sicut naturale aliquod metallum, egregia est ars.

sed

ſed non ſemper ſuccedit, nam colores facilè comburuntur, & nimio calore perduntur, ita ut nulla metallica vitrificatio cerni poſſit. Vaſa igitur non in communi figuli, ſed peculiari furno (ut ſæpius obſervari ignis queat) vitrificari debent. Si vitrificatio repræſentare debet ☉ & ☽ aut ♀ ſumendum quoque erit Aurum & Argentum aut Cuprum hoc modo: ℞. Unam partem Auri & Argenti aut Cupri; reg. Antim. 2 vel 4 partes, funde Antim. & Metallum, pulveriza illa in mortario chalybeato, & immiſce æqualem portionem Nitri; ſine figatur mixtura in tigillo, quâ mixturâ vas fictile illiniri poterit; furno ad hoc opus apto poſteà committendum, ſi rectè procedatur, obtinebitur pulcherrimâ vitrificatio, ac ſi vas auro, argento aut cupro obductum ſit; non evaneſcit, & vaſa auro, argento aut cupro obducta decorâ longe ſuperant pulchritudine, iſta enim temporis diuturnitate amittunt ſplendorem, illa minime, uſque dùm fruſtulum unicum ſuperſit.

PUNCTUS XIX & XX.

Milites, mercatores, viatores, aurigæ, piſcatores aliique ſub dio victum quærentes, vernicem ex eo parabunt, cui lineos pannos mergent, nec aëri nec pluviæ tranſitum permittentes, quos ocreis, veſtibuſque ut in pluviis ſiccum iter faciant, ſubducent.

Qui tapetes conficiunt, Oleum ſuum lentum reddent impoſitorum colorum tenaciſſimum.

Hîc fit mentio alicujus Mixturæ, cui si imponatur pannus lineus, atque siccetur, non permittit transire Aquam, & isto fit modo: Nil deest Oleo lini, quàm ut ipsi dematur humiditas, quæ semper impedit exsiccationem; istud nunc ut efficiatur, non est alius melior modus, quàm ut Oleum lini pedetentim coquatur, cum floribus lap. Calaminaris aut Saturni per Nitrum sublimatis, usque dùm fiat Oleum tenax & satis indurescat hunc ad usum. NB. Panno lineo ex hâc Mixturâ tracto potest Talcum micans vel tenuiter sufflatum & colore tinctum vitrum illiniri, tenaciter inhærebit, tapetibusque conficiendis inservire poterit. Hoc igitur modo Punctus XIX & XX confirmantur probatione.

PUNCTUS XXI & XXII.

In Oeconomia Smegma Veneto longe præstantius matresfamilias ex eo parabunt.

Ancillæ vasa metallina summe nitentia reddent.

Nitrum fixum præ cunctis Smegmatis pannum lineum purificare atque lavare, nemo ibit inficias, rem comprehendens, quâ de re Antiqui non frustrà scripsêre multa, Nitrumque Saponem Sapientum appellarunt, sed non pro lavandis muliercularum linteaminibus, verum Metallis imperfectis intrinsecus purificandis: externa quoque purgatio eorundem, ope hujus perfici poterit, ita ut Punctus XXII simul verificetur.

PUN-

Punctus XXIII.

Fœminæ flavum, pallidum, fuſcum faciei manuumque colorem in lævisſimam albedinem mutabunt.

E Nitro calcinato cum Talco dealbante egregium poſſe fieri Coſmeticum (quo cuticula nigricans dealbetur) non eſt quod dubitetur. Quod ſi præſtat Nitrum fixatum per reg. Antimon. ſolum, quidni plus faciet ſi cum dealbante aliquo Talco Minerali in calcinatione conjungatur?

Punctus XXIV.

Vetulæ rugas faciei manuumque, clavos etiam pedum levi opera tollent, linumque ad tantam mollitiem excoquent, ut ſerico parum concedat.

Iſtud verificare facile eſt, ſi nimirum Nitrum cum reg. Antimon. figatur, & in cellâ humidâ in Oleum fluere ſinatur, quod erit liquor tàm igneus, ut ſi cuticulæ illinatur craſſæ & pedum clavis ſæpiuſculè, mollificetur ita, ut ſine ſenſu cultello poſſit abradi, craſſa & indurata cuticula, & poſteà alia renaſcatur lævis.

Punctus XXV.

Hortulani omnia inſecta tollent, ſi hoc Subjectum aquæ miſtum locis ubi pullulant, affundatur, omnia morientur, vel foras ad necem erumpent, quia iſtum ignem ſuſtinere non valent. Fructus etiam maturat, ſi ineunte vere, parum hujus menſtrui radicibus applicetur: & ſi pomorum copia ob-

obruuntur, permanens vinum, acetum, vinumque ardens ex iis parabunt.

Nitrum fixum omnes in terrâ vermes enecare, non dubitetur; magno ſæpius emolumento tentavi, & quoque expertus ſum hoc modo: Habui quondam in horto, multi nunc anni ſunt, loculum aſparagis repletum, quem hyeme fimo equino, ut à gelu coſtodiretur totum operui, hinc multi ſuccrevêre vermes fibroſis inhærentes aſparagorum radicibus, ita ut nullo potuerint augeri modo, ſolum ob magnam vermium copiam, qui nutrimentum iſtius vegetabilis ſibi abſtulerunt. Cum autem fortuitò Nitrum fixum aëri expoſitum inque liquorem verſum è feneſtrâ in hortum projeciſſem, illi loco incidit, ubi tàm copioſi inerant vermes; pluviâ inſequente Nitrum fixum ſolvebatur, & terram penetravit; quo facto vermes copioſi è terrâ repſerunt, quia non potuerunt igneum ſuſtinere liquorem, aſparagi eodem loco plenius & perfectius creverunt, quod me movit ut alibi etiam applicarem iſtiuſmodi liquorem; Hac ratione brevi admodum tempore totus hortus à vermibus vindicabatur.

PUNCTUS XXVI.

Piſtoribus fæcis fermentique vices præſtabit; ſi lupulum in eo ſolvant.

Si Nitrum purum cum farinâ, Aquâ tepidâ perhumectetur, & loco ſinatur calido, tum pro-

pria vi ac virtute fermentari incipit, præsertim si Aquæ isti incoctus fuerit lupulus, qua etiam aliæ res ad fermentationem promoventur.

PUNCTUS XXVII.

Cerevisiariis si lupulus eo sit extractus cerevisiam ferventem dabit.

Simili plane modo, tepida etiam cerevisia ad fermentandum excitari potest.

PUNCTUS XXVIII.

Mulsariis acescentia mulsa, omnem etiam cerevisiam, vinumque Hispanicum acidum potabile reddet.

Si genus aliquod potulentum, sive sit Vinum Hispanicum, sive hydromel, aut cerevisia, quæ tempore æstatis facile acescunt, rectificandum sit, imponantur Tonnæ circiter 4, 5, aut 6 lothones nitri fixi, pannulo lineo illigatæ, & foramini dolii superiori appensæ, tum Acida cerevisia, hydromel, & simile potus genus brevi tempore efficiuntur potabilia.

PUNCTUS XXIX.

Pectinum, manubriorumque fabris cornua emolliet, ut eis quævis imagines imprimantur.

Quodlibet cornu aut os mollificari, si lixivio satis Nitri incoquatur, facile comprehendi potest; quod tamen etiam præstat aliud forte lixivium, non tàm igneum, quàm lixivium Nitri fixi.

PUN-

Punctus XXX.

Poliones polita armamenta ejus inunctione à ferrugine tuebuntur.

Nitrum fixum, ferrum ab ærugine præservare, credibile est, cum tale præstet simplex Aqua calcis, corrosivis æque contraria.

Punctus XXXI.

Aucupes optimum eo mediante gluten parabunt, frigore æstuque incorruptibile.

E Nitro Spiritus si destilletur, hocque lapis calaminaris solvatur, Spiritus iterum abstrahatur; remanebit Oleum, spissum & grave, quo gluten lignarium perhumectatum & solutum, tenax evadet viscus, qui nullo calore solis exsiccatur, sed unctuositatem suam omni tempore servat. NB. Istud quoque præstat Spir. Sal. aut Vitrioli, si eo solvatur gluten aliquod.

Punctus XXXII.

Militum præfecti ad terrefaciendas mulierculas ex ⊙ pulverem fulminantem parabunt, cujus quantitas instar pisi super lamina accensa vehementius fulminat quam dimidia vel integra pulveris pyrii libra. Potest idem etiam absque ⊙ parari, solo additamento salis Tartari & Sulfuris; parte 2 furnorum descriptus.

Quantum istum attinet punctum, non opus habet ulla probatione; notum enim satis, ex ⊙

Spiritu Nitri soluto, (in quo etiam Sal Armoniacum dissolvebatur) & cum Sale Tartari (aut quod melius Spiritu urinæ) præcipitato, edulcorato, & exsiccato, talem fieri pulverem, qui super laminâ ferreâ, cupreâ, aut argenteâ leni aliquo calore accensus fortius fulminat, dimidiâ librâ pulveris communis tormentarii, de quibus aliis meis scriptis prolixius actum.

PUNCTUS XXXIII.

Tormentorum præfecti, & qui pulveri tormentario, ignibusque operam dant, multa mirabilia ejus ope præstabunt.

Nitrum commune conficiendo pulveri tormentario aliisque operibus igniferis usui esse, non opus est testimonio, ut res notissima.

PUNCTUS XXXIV.

Possent & multa nova opera fabrilia, textoriaque inde parata vicinis communicari, quorum loco pecunia in exhaustam bello patriam inferretur.

Quoad istum Punctum, certissimum est, varias mentionato Subjecto posse Manufacturas perfici, quod nullus dubitet; sed non opus est tale quid huc apponere; Sufficiat me Dei ope & auxilio verificasse, quæ nominavi, & isto in loco explicare proposui.

PUN-

PUNCTUS XXXV.

Si vinitores de hoc Subjecto pauculum vitium radicibus affundant, uvas præcoces habebant, mustumque præmaturum care divendent.

Infima plebs populi, Rustici, Hortulani, Vinitores, & similes, qui Vegetabilium propagationi incumbunt, dicunt & existimant, fimum afferre fertilitatem & rerum augmentationem: Philosophus verò qui naturam altiùs penetrans, ejus opera diligentius rimatur, istud attribuit Sali fimo recondito, & se res non aliter habet; digestione enim in ventriculis hominum & brutorum, Sal essentiale tàm animalium quàm vegetabilium transmutatur in Nitrosum, quod unà cum excrementis per alvum abscedit, & ab hominibus ad propagandum omnis generis Vegetabilia adhibetur, alterum verò Sal, quod cum isto minimè participat, aliâ secernitur viâ cum urinâ nimirum, ut plurimum Sal est Acidum, omnium vegetabilium augmentationi contrarium, (licèt aliquid Salis volatilis secum ferat) perdit, mortificat, & aufert ipsis crescendi vim, immò vitam ipsam, si sæpiùs eo perhumectetur; Sal verò Nitrosum, excrementis reconditum, vice versâ cuncta vegetabilia vivificat, crescere, virescere, & fructificare facit, quòd omnes norunt. Si ergò probabile est, non fimum, sed fimo absconditum salem fertilitatem & augmentationem causari, possibile utique erit, tali Sale in omnibus vegetabili-

bus augmentum æquè procurari posse, ac ipso fimo, & quidem melius, nam fimo conjungitur etiam urina; quæ si non quamdiu decet aëri & pluviæ fuerit exposita ut eâ sal acre ablui potuerit, fimus nil valet prorsus terræ impinguandæ, quod rustici notârunt, & non tàm citò recenti usi sunt fimo, sed eum antè hyemem in agros, Vinitores in vineas educunt, ibique totam hyemem relinquunt, eum in finem, ut pluvia nocivum & acrem illum salem eluere inde possit, & tandem hoc peracto terræ immiscent, docenturque rei veritatis effectu, ipsum magis impinguare, recenter stabulis evecto, & urinâ pleno. Quòd si noverim igitur salem nitrosum facere ad augmentum, non solùm in excrementis hominum & brutorum, verùm etam in aquâ pluviali, & terrâ communi reconditum, hoc uti potero loco fimi, (repurgato priùs à suo contrario acido) cujus unica libra majorem edet effectum centum libris fimi; interim tamen conducit, si aliquid fimi ovilli simul cum purificato nitro aquâ solvatur, quâ radix arborum irriganda, aut semina in eâdem madefiant; istud non semel tantùm probavi, & reperi, augmentationem ope Nitri benè depurati potentissimè & celerrimè promoveri, immò magis quàm credi possit. NB. Velim autem mentem intelligi meam, non accipiendum esse Nitrum commune, hisce minimè proficuum.

PUNCTUS XXXVI.

Poteſt tamen Muſtum, vinumque etiam abſque hac arte alio modo in doliò maturari, ut callentibus artem ſemper bona ſint vina, licet alii habeant auſtera. Secretum frigidis climatibus auſtera vina fere ſemper proferentibus utiliſſimum.

Regionibus etiam vini feracibus convenit, ſi caloris ſolaris defectu vinum maneat crudum, quod hac arte juvatur, ut facilem emtorem inveniat.

Sed quia major hominum pars, & imprimis plebecula, res nunquam viſas vel auditas perſuaderi non poteſt, probe ſcio, ſi totam vini meliorandi rationem verbotenus deſcriberem, quod mihi vix centeſimus fidem ſit habiturus, dicet potius, ſuos majores etiam prudentes fuiſſe homines, multaſque opes ex vino collegiſſe abſque hujus artis ſcientia, quam nec ipſi appetant: Si natura vinum non excoquat, ſit auſterum; aliquando tamen, ſi non à domino, certe à ſervo exhaurietur.

Hujuſmodi homines incurabiles ſunt, nec facile ut veteres canes domantur: junioribus vero curæ non eſt, quam prudenter rem ſuam adminiſtrent: hinc fit, ut omnia antiquum obtineant. Verum enimvero, ut Vinitor præſentem mundum priori peritiorem eſſe videat, unico exemplo ad oculum demonſtrabo, quo quantum inter ſe diſcrepent, ipſe perſpiciat.

Majores noſtri ex vini fæcibus nil præter ardentem Spiritum eliquare noverunt, quo extracto reliquias abjecerunt, interdum pabulo pecudum miſcuerunt, rariſſimè ad Solem arefactas in cineres clavellatos combuſſerunt.

Meo vero invento res eo rediit, ut longè major Spiritus ardentis, mox etiam magna copia tartari, ac tum demum cineres iſti inde ſint extracti, lucro triplicato. Quod ſi rem cautius tractes, ex culeo fæcum ad minimum 7 vel 8 urnas boni vini exprimes, ex reſiduo ſuum vinum ar-

ardens tartarumque, ad extremum cineres clavellatos habebis, lucro quater aucto, quæ res majoribus nostris plane incognita fuit. Quot mille centenarii tartari quotannis in Franconia, Suevia, Alsatia, Palatinatu ad Rhenum, Mosellam, Danubium abjiciuntur, patriæ utilissimi, si homines essent, qui artem tenerent. Sed quid attinet docere, si non sit qui discat audiatve: consultius enim est otium captare, quam aliis inutilem operam navare. Persuasus vero sum, post meam mortem nonnullos intellecturos, quam bene mundo voluerim, ex scriptis meis veritatem insigni suo commodo indagaturos esse: Omni rei sua est opportunitas, gemmæ in arboribus præcedunt, sequitur flos, ultimus fructus est.

Hoc est pulcherrimum & utilissimum Secretum talibus in locis, quibus vina propter frigus non maturescere possunt, cruda & impotentia manere coguntur, quæ isto remedio in dolio perduci queunt ad maturitatem, ita ut è vino Acido & Acerbo fiat vinum delicatum, amicabile, generosum & constans. Et licet hîc non nisi verum scribam, & sæpiùs à me sit effectui datum, conducereque re ipsâ comprobatum habeam, scio tamen perbenè, paucissimos hoc credere & comprehendere, quod mei quidem parum interest. Sufficit in me hoc verificasse in puncto scriptum.

PUNCTUS XXXVII.

Aliud ruricolis valde quæstuosum. Ex pomis, pyrisque expressum mustum hujus Subjecti ope ad Effervescentiam promovetur, ut vina inde fiant nativis sapore, durabilitate, viribusque parum inferiora: vel, si contu-

sionis

ſionis pomorum tædet, bono compendio ſuccus exugetur in futurum vinum. Secretum regionibus ob frigoris dominium vina excoquere non valentibus, ſed pomis ut plurimum abundantibus, neceſſarium, quo vini iſtic locorum nimis cari caritas commodiſſime penſatur.

Plures quidem artes vinarias habeo, ſed hujus loci non ſunt, qui tantum eas, quæ meo univerſali Menſtruo adminiſtrantur, hic tractare decreverim, artes meo judicio nemini antehac notas, huic in medium productas, ut, quouſque mundus in bonarum rerum cognitione profecerit, lectori pateſiat: ſive res credatur, ſive non, mea nihil refert, ipſe etiam dubitaturus, ni fuiſſem expertus: ſed judicia non debent eſſe temeraria: ſciendum eſt, Deum mirabiliter diſpenſare ſua bona iis, quos ſibi ſervos ac inſtrumenta ſuorum in lucem proferendorum miraculorum eligere deſtinavit.

Iſto fit mentio, quibus modis malorum pyrorumque ſuccus poſſit corrigi, ut ſimilis vino multos annos conſtans incorruptuſque maneat; magni certè hoc ſecretum momenti, & emolumenti. Non ſatis mirari poſſum negligentiam hominum, mundus tam eſt jam corruptus, ut luxui, ebrietati, otio, aliiſque indulgeat vitiis, eaque amore proſequatur; ars & virtus parvi æſtimantur, imò ludibrio habentur. Certus autem ſum, Deum juſtum vindicem, nos ſecuros, & improvidos viſitaturum, nam impoſſibile planè, tantam mortalium impietatem diutius tolerari poſſe, matura poma ſpontè arbore decidunt, ſuam habet quælibet res periodum. Quantum commodi quæſo hâc poteſt arte hauriri iis in locis, ubi maxima fructuum copia creſcit; an non præſtat hoc quàm

ipsos relinquere, ut putrescant & perdantur? Faciam quod in me est, meumque talentum non defodiam, ut coràm Deo & mundo excusabilis reddar, licèt quod doceo non ut uti decet excipiatur. Observabitur demum post meum decessum, quid scripta mea in se reconditi habeant, sed nimis seriò sapient Phryges. Affirmo itaque denuò, omnia hocce puncto contenta esse purè verissima, & effectui dari posse perfectissimè.

PUNCTUS XXXVIII.

Si agricolæ semen hoc menstruo humectatum in agrum spargunt, citius maturescit, granis pinguioribus:. Si emtores desiderent, quo pacto magnum ex suo frumento quæstum faciant ostendam. Integro, non commolito frumento calidam hoc menstruo impraegnatum affundant, in dolio bene clauso suum tempus ferveat, Aqua omnes vires extrahet, relictis siliquis in porcorum pabulum cessuris: si cum hoc extracto lupulus ferveat, bona erit cerevisia; si hanc nolis, optimum Spiritum inde elicies, residuum brevi acetum erit: & si callidus es, hoc vinum ardens, multis usibus applicatum plus lucri reddet, quam si vendidisses. Secretum in frumenti vilitate non spernendum.

Verum hoc esse, frumentum copiosius crescere, si antè seminationem, in suprà mentionatâ Aquâ Nitrosâ (non autem vulgari) ad mollitudinem usque perhumectatum fuerit, præcedens XXXV Punctus confirmabit. Alterum quoque similiter consentaneum esse veritati, quod de utilissima usufruitione frumenti scriptum,

nemo

nemo dubitet, plus enim adhuc eâ fieri poteſt, quàm hâc de re prodidi, nam ſine labore inſigni & impenſis iſtâ aquâ optima quæque ſubſtantia & nucleus, ut ita dicam, ipſius frumenti extrahitur, quod extractum poſtea in plurimos annos ut magni momenti theſaurus aſſervandum erit, ex quo poſteà omni tempore & loco, addita aqua lupuli ſana cereviſia coqui poterit acetumque & Spiritus ardens fieri; talis quoque ſubſtantia loco panis maximè nutritivi caſu neceſſitatis uſu adhibenda venit, cujus unica libra plus nutrimenti dabit duabus vel tribus panis vulgari modo confecti; ut & in fortalitiis magno commodo aſſervatur, item uſui eſſe poteſt mare verſus Indias tranſnavigantibus, & circumvehi navibus ut panis plurimi nutrimenti, ex quo aqua lupuli tepida affuſa optima conficietur cereviſia, omni tempore Anni; nam facilè & in totum diſſolvitur in aqua calida; ob hanc etiam cauſam in magnis belli exercitibus hinc inde terra commodiſſimè vectabitur, ex quo in campis quovis tempore, hyeme & æſtate, aqua lupuli bona coquenda cereviſia, & non opus ut aqua tàm longè vehatur, quia ubique locorum reperitur, nec lupulus magni eſt oneris; Poteſt itaque unica tonna tantum vehi iſtius extracti frumentitii, quantum ſufficit 6 vel 8 tonnis cereviſiæ coquendæ; & quod, magis eſt, hac poterit ratione in ipſis canicularibus, tàm in campo, quàm urbibus & navigiis (quib. aliàs non bona con-

conficitur cerevisia; quia tùm temporis acescere solet) sine ullo impedimento & metu aciditatis futuræ salubris parari cerevisia: pluresque aliæ commoditates hoc medio procurari, quas omnes enarrare supervacaneum est. Dicta modò sufficiant. Optandus sanè in quolibet Dominio aut Principatu talis esset Pharao, æqualis Ægypto tempore vilitatis annonæ, qui benignam Josepho præberet aurem, frumentumque nullo jam ferè pretio habitum asservaret, & non tàm inutiliter perdi sineret, tùm benè se res haberent in patriâ, & infimi pariter ac summi sufficienter victu & amictu gauderent. Credo centum ab hinc annis, frumentum per totam Germaniam non vilioris fuisse pretii, ac nunc est, nam saccus eo plenus, id est, onus cui portando vix sufficit rubustissimus, dimidio venditur Imperiali, & quidem rarissimè, cùm nulli adsint ementes, ob magnam ejus ubique copiam, ita ut Ruricola non accipiat, quo suis possit solvere servis, quod ipsis debetur, multo minus ut aliquid residui habeat. Metuendum certè est, si non præveniatur, plerósque agricolas ruribus & focis valedicturos, cùm ipsis non sit, nec esse possit, quod Dominis suis ac Magistratibus dent: Quapropter dico, curam esse gerendam quomodo miseris Rusticis auxilium afferatur, ut domi manere possint: Et equidem consulo simplicem meam proferens sententiam, ut ab istis pauperculis frumentum æquo pretio ematur, concentretur à destinatis ad hoc opus in ta-

lem

lem ſubſtantiam, quæ cuſtodiri conſervarique poſſit, & in poſterum, ubi fuerit opus ad mortalium ſuſtentationem iterùm juſto vendatur pretio, omnibuſque bono dividatur. Hâc viâ pauperrimis ſubditis auxilio itur obviam, Magiſtratuſque nullum hinc capiet detrimentum; & præſtat certe hoc facere, quàm omnia negligentiâ & impiâ ſecuritate, à Summo Judice ſuo caſtigandâ tempore, relinquere perditioni. Deus enim hoc peccato irritatur ad puniendum nos annonæ caritate, quod tamen ipſe ſuâ avertat infinitâ clementiâ.

Punctus XXXIX.

Adhuc unum habeo, de frumento, fruticum arborumque fructibus addendum, præcipuum inter artes meas vinarias, ab humano genere tanquam inſigne Dei donum, ſumma cum gratiarum actione acceptandum. Nempe, Induſtriâ, multiplicique experientiâ compertum eſt, quod ex ſecali, tritico, avena, hordeo, oryza, milio: pomis item, piris, perſicis, ceraſis, prunis, prunis ſylveſtribus, damaſcenis; cydoniis, ficubus: uvis etiam urſinis, criſpis, moris rubi, rubique idæi, berberibus, vacciniis, baccis ſambucinis, ſimilibuſque terræ, fruticum, arborumque fructibus gratus, ſalubris ac permanens potus, cuivis vino ſapore, odore, viribuſque ſimillimus, exiguo labore ſumtuque præparari poſſit. Pro qua largiſſima bonitate miſericordi Deo à frigidorum climatum, uvas nunquam videntium incolis dignæ gratiæ nunquam agi poſſunt. Si vix centeſimus meis dictis fidem adhibeat, hoc me male non habeat, jam ſatis expertum perditorum mali mundi morum, procaciumque intemperatas linguas ſuſque deque haben-

bentem: satis mihi est, scripsisse quod res est, meaque scripta necessitate urgente abunde demonstrare posse.

Objiciat non nemo, quomodò hoc erit possibile, cum mundus tot seculorum tractu, tot sagacissimos viros produxerit, quorum nec unus de hujusmodi inauditis rebus scripserit; haud dubie mera erunt phantasmata. ℞. Non sunt somnia, sed sæpius comprobata naturæ secreta. Quid sibi talis objectator vult, qui ipse omnium rerum rudis omnes similiter idiotas esse sibi persuadet, qui florentis ætatis dies cantando, saltando, comessando, potando, scortando, omnique vanitate in gratiam diaboli mundique transigens, in provectiore ætate nihil habet, quo ignominiam tegat, quam quod talia impossibilia esse garriat, qui nec vidit, nec unquam auribus percepit. O perversum & occœcatum mundum! si tanto Zelo Dei Creatoris tui gloriæ proximique amori litasses, quanto tuis mundanis cupiditatibus, avaritiæ, superbiæ, usuræ, invidiæ, gulæ, mendaciis, haud dubie scintillula lucis Dei naturalis illuxisset tibi, nec omnino in mundana caligine, carnisque vanitate mersus periisses. Nihil tam magnum bonumque, vel tam exiguum ac vile est, quin idem ante hac etiam fuerit, licet nobis, quo tempore extiterit, incognitum: nec impræsentiarum quicquam est, quod non cum tempore peribit. Quod si hæ artes humano generi nunquam innotuerunt, quid nostra refert, modo nobis istis frui, Deoque omnis boni largitori pro iis gratias agere concedatur. Cur non & nos jam scimus, quod Adam, Noa, Abraham, Isaac, Jacob, Joseph, Moses, David, Salomon, Daniel, aliique naturæ luce illuminatissimi homines olim perspectissimum habuerunt? cujus scientiæ obscuræ tantum scintillæ nobis supersunt. Quis speculando assequetur, quod ante mundi finem est revelandum? Deus antiquissimus œconomus cum suis Liberis famulitioque sapienter agit non cunctas gazas simul promit, nobis turpiter decoquendas, sed per partes, prout sibi honorificum & nobis

bis proficuum fuerit. Fortassis alterum Noæ tempus foribus est, quo arcam condi jubebat Dominus, ad præservationem paucorum ipsum timentium. Quis scire potest, quæ post aliquot paucos annos mundi facies sit futura? Bene ergo bonæ viduæ in Sarepta, si in tanta rerum angustia Elias vel alius quidam adveniens, cado lecythoque semper repleto ipsam sustentet. Cui rei parvulus bonorum grex in mundo similior est, quam spretæ, ab omnibus derelictæ abjectæque viduæ? Num DEI potentiam credis imminutam, quo minus suos cum Lotho ex Sodomis educere ac trans montem in oppidum, ubi ab igne & calamitate sint immunes, deducere valeat? Si quem DEUS in summis angustiis servatum cupit, media quibus id fiat, ipse præbet, nec opus est, ut ipsi Angeli eum cum Lotho eripiant. Superbus vere mundus tam securus est apud sese, ut nullis mediis sibi opus esse arbitretur, sed DEUM perpetuo dormiturum, nec unquam evigilaturum stulte credat, ad puniendum malum. Qui rustico paulo major est, dedecori sibi habet, si liberi sui artes doceantur, sat opum se ipsis relinquere putans, unde honeste victitent, tempore vero, quo (quod DEUS clementer avertat) magnis æque ac parvis fugiendum, omniaque sua sunt relinquenda, tunc demum, quas quisque opes possideat, apparet, & quam inops temporis momento fieri possit: tunc se multi pauperum loco esse cupiunt: sed sapientia (piscatore icto) sera, stultitia est: unicus ducatus, quem tibi nemo extorquere valeat, melior est mille aureis vel argenteis. In proximi gratiam nonnulla secreta protuli, *bonum vade mecum*, sive *omni-habile* multis futura, quod vero singulis hederas non appenderim, ratione non caret, nec opus est plura de eis deblaterare. Cui Epistolæ atque Euangelia non arrident, nec eorundem Expositiones curabit. Si tumore inflatus magnam tempestatem ingruere videt, nec sibi de refugio prospicit, ei si pereat, condolendum non est.

Isto fit mentio puncto, è frumentis arborum,

ut

ut & aliis fructibus dumetorum clarum fieri posse potum, gratum quoque & constantem, non dissimilem vino sapore, colore, & virtute, quod, etiamsi hujus rei ignaris alienum videatur, verissimum tamen est, ita ut audacter fidem habere liceat iis, quæ hoc in puncto continentur. Quid enim mihi proderit scribere talia, quæ non probare queam; mihi ipsi detrimento ut & dedecori essem; hanc ob causam deliberavi tale paratum habere laboratorium, in quo non solùm fodinas Metallicas possidentibus, si hoc à me petant, modum noviter à me inventum Mineras diversis viis compendiosè fundendi, ita ut plura obtineant metalla, quàm modo jam cognito & communi, verùm etiam alia monstrare potero secreta, ut magnalia & Miracula Dei palàm fiant, & incitemur omnis boni Datori grates agere: mentionatumque laboratorium patebit annum integrum, quo elapso claudetur rursùm & cessabit. Non enim totum vitæ meæ cursum magnis istis laboribus obnoxium reddere, animus est, sed quietâ tandem frui tranquillitate, quod scire velim cunctos, ut mihi suis parcant literis, quibus respondere mihi est impossibile, multò minus coràm me sistere, cùm proficiscendi onus mihi sit prorsus insupportabile: quodcunque autem domi præstare potero, minimè recusabo.

Habes ergò hîc Lector benevole explicationem Miraculi Mundi fundatissimam, (Quod attinet punctos istos ultimos, nimirum 36, 37, 38 &

38 & 39 commodissimè quidem hîc explicari potuissent, quia verò hoc factum Tractatulo (Salus Germaniæ inscripto) peculiari prolixiùs, nullâ prorsus opus hîc explicatione; Lector igitur benevolus quod hoc in loco deest, ibi inveniet tanto copiosiùs, quò ipsum nunc relego.) quâ patebit omnibus non ultrò cæcutire volentibus, me Sali terræ, ut Subjecto universali, non adscripsisse nimium, sed toti mundo comprobasse, omne, quod ipsi esse possibile attribui, & veritati planissimè consentire. Hæc autem Secreta, quæ beneficio Salis terræ perfici posse probavi, non aliis etiam & forsitan propinquioribus viis effectui dare, non eo inficias, sed affirmare necesse habeo, tàm mentionata Metallica, quàm Mechanica aliis adhuc modis esse peragenda. Solùm hîc verificatum, Terræ salem meritò Subjectum universale existimari, quod nemo negabit, nec argumentis fulcro veritatis innixis refutare legitime poterit, utut sapere sibi videatur; neminem igitur offendat ipsius vilitas, nam in rebus parvi pretii plerumque reconditur optimum. Quapropter errant omnes qui exteriori bonum attribuunt splendori, in quo tamen non est, sed solùm in vilissimis quærendum inveniendum, obtinendum, & conservandum est: Hoc nota, hoc crede, aliàs nihil unquam boni assequêris.

Istud adhuc commonefaciendum duco, quempiam instare posse hoc modo: Si Nitrum Menstruum sit universale quod gloriosè de ipso præ-

dicem; necessariò exinde lapis Philosophorum veniet conficiendus, cujus tamen nulla hîc à me fiat mentio Huic ut obviam eatur facillimè, confiteor equidem, hoc me subjecto non plus profecisse iis quæ à me nunc probata sunt; procul dubio majora in se continet mihi aliisque patefactis. Initium feci, viam stravi, sequantur me alii, & prosequantur rem plus ultrà, si Deus ipsis concedat; quod me refert, paucis contentus, altissima haud anxius nec sollicitus aspiro. Hoc interim tamen lubens fateor, si non tàm provectæ essem ætatis ut sum, me hâc in re certè nihil intentatum relicturum. Minimè dubitetur, plures Lap. Universalem in Nitro quæsivisse, quid autem invenerint, hoc scient ipsi; quantum de hoc certior sum factus, ipsorum materia in fine operis accensa, ut fulminis ictus evanuit fragore; hinc antiqui Philosophi opus suum hyeme perfecerunt ne à coruscationibus læderentur; verissimum, & ab omni errore alienum, hujusmodi nobilissimam essentiam, omnes mortalium morbos naturales expellendi, omniaque metalla imperfecta in purum putum ☉ transmutandi vim obtinentem, non ex impuro posse metallo, aut minerali, nec ipso etiam ☉ parari, multo minus ex aliis rebus vilioribus aut dissimilioribus, quibus occupantur stulti miserrimi, bona sua inutiliter & prodigè perdentes, sed, meo licèt non tàm acuto judicio, nil esse aliud quàm ignem concentratum fixum, & astralem, sine omni aliâ

re

re adventitiâ, in formam lapidis arte exaltatum. Nulla enim in rerum natura purior essentia inveniri potest, ipso igne, maximam in omnibus, præsertim Metallis vim exercente: si enim ignem (consideretur quæso) non haberemus, omnes artes & mechanica frigerent, tenebroso involuta cessationis silentio. Igne inventæ sunt artes & originem ex igne ducunt, quibus aliàs modis Metalla ex mineris eruenda, & ad usum parandi nullis prorsus nullis inquam: plus ergò igne continetur, quàm ut credi possit. Qui ignem ut potentissimum Elementum non novit, nihil novit, nec hoc fine quicquam experietur, neque Philosophi nomen sibi jure competere bonâ conscientiâ profitebitur. Solus ignis sine aliarum rerum additione sufficienter potis est, è lapidibus conficere Metalla, & particulariter è vilioribus, meliora; modò sciatur quomodo sit utendum ipso; universaliter verò, in materiam lapideam concentratus; quod ultimum licet non sim expertus, observavi tamen, si annuente Dei gratia, quis ignem in substantiam corpoream & fixam exaltare possit, eum tincturam certissimè habiturum ad homines & imperfecta metalla. Qua autem itur via, objiciet aliquis ad obtinendam hanc coronam? nulla prorsùs alia quàm revelatione Divina. Ejusmodi enim magnalia Dei non tàm sunt inventu facilia, nec impiis manifestabuntur, licèt mundus universus phrenetica stultorum labe sit infectus qui Aurum talibus è rebus vi torqueri

vesanè putant, in quibus non est. Ignis Metallorumque gnarus & peritus, non satis demirari potest labores istos stultissimos, quas Auri canina fame detenti pro fabricatura lap Philosophorum sibi assumunt; multi scalam ascendere volentes statim de supremo sunt gradu solliciti, cum tamen adhuc longe absint ab infimo, scalæ basi: altioris est hæc res indaginis. Igne dico magni continentur secreta momenti, immò ut quidam Philosophi, quos inter est Plato præcipuus, scribunt: In Sale & Igne Deus clarissime cernitur, & cognitione apprehenditur. Ignis potis est facere lucem è tenebris, Solusque Deus immortalis, quod nemini conceditur mortalium; sine igne mors & tenebræ; sine igne nil vivit, nihil augetur atque crescit. Summatim ignis est nobilissimum potentissimumque opus Dei, totiusque Universi, isto legitime qui noverit uti, nulla opus habebit arte. Accipiat igitur Lector benevolus meum quoque judicium modulum de magno Sapientum lapide; credat quantum quilibet velit, & comprehendere valeat. Opus tale pure Dei donum est, & nulla mentis humanæ apicis vel acutissima virtute addisci potest, si non roboretur susurrationis ope Divinæ benigna. Certissimum autem habeo, Deum ultimis hisce temporibus quosdam excitaturum, quibus arcanorum Naturæ cabinetum reserabit, ut ad sui gloriam mirabilia prodire faciant in hanc mundanam scenam, quod equidem posteris ani-

animitùs exopto, ut id Dei honori atque laudi impendere velint, eô uti & frui queant, Amen.

EPILOGUS.

Non dubito, quin multi, animadvertentes tanta bona Nitri beneficio perfici posse, scire gestiant, qua ratione in copia educendum sit, ne tàm care illud emere necesse habeant, quod certe non paucis igne laborantibus facile magno futurum sit auxilio, cunctisque pietate imbutis Chymicis optem ex animo, ut carbones sine fructu consumptos quadam compensatione recuperare valeant. Cùm autem Tractatulo quodam peculiari (qui Gaza Mundi inscribitur) educationis aut præparationis Nitri facta sit mentio, hujus hîc repetitio supervacanea videtur. Verùm hoc vaticinor, Nitro scriptis meis percognito, brevi admodùm veram Alchimiam vel Metallorum imperfectorum in meliora transmutationem fore tam vulgarem, quàm fuit olim in Ægypto tempore Diocletiani Imperatoris, qui Ægyptios non vincere aut subjugare potuit, donec multis cruciatibus ipsorum libros extorserit, quos Vulcano tradidit comburendos, & sic eos servitutis jugo submisit. NB. Nemo miretur, solùm apud Ægyptios Metallorum in meliora permutationem tàm fuisse communem, hâc habitâ consideratione, quòd Nitrum ubique locorum Ægypti in

in terrâ reperiatur, Nilusque insignis fluvius Nitro sit impraegnatus, qui suâ solùm inundatione, quae Anno bis fieri perhibetur, ita universam impinguat regionem, ut sine fimo omnium rerum feracissima fiat & uberrima; tàm enim Nilus abundat Nitro, quàm sale Mare communi. Nam statis temporibus, inundationis nimirùm principio, solent Incolae profundissimas fodere foveas, ut aquâ repletae maneant, quâ posteâ sole exsiccatâ, Nitrum copiosissimè (sicut Hispania aliisque locis calidioribus sal fit vulgare) paratur. Hoc Lectori benevolo informationis ergò detegere lubuit; si sapit, Deumque habet propitium, sat esse dictum credet; si verò non, explicatione haud juvabitur vel decies clariori. Sufficiat ergò; quod desideratur hîc, habebitur, in Tractatulis peculiaribus (qui Salus Germaniae, & Mundi Gaza inscribuntur) quo delectetur mirabilium plenus amore Dei.

FINIS.